ASSERTIO
JURIS MONARCHICI
IN REGNO SCOTORUM:

Seu

DE MVTVIS REGIS SCOTIÆ, & Subditorum ejus officiis,

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

DISSERTATIO POLITICA.

Excudebatur Anno M DC LIII.

Dus. Z. 56 (9)
3

PRÆFATIO.

Dissertatiunculam hanc, q̃ vobis offero, Populares dilecti, *prout ab amore erga salutem vestram profecta est, ita quæso grato animo suscipite. Haud lubens simul & tædiosus & infructuosus essem. Quare si sententijs non est referta, saltem brevis est. Multa fortasis in ea desiderabitis, quod ut excusetis, considerate vobiscum diligenter, me hic tantùm vera fundamenta, quibus viam rectam vos doceam, jacere: tempus vero refutandis adversariorum argumentis non terere. Si rem attentiùs perspicitis, confido, vos comperturos, validissima quæque eorum tela, aut contrarijs thesibus aut tacitis*

instantijs, & objectionibus (quanquam indirectè semper) retorta & repercussa esse. Mihi enim propositum est, alios instituere, neminem, si fieri posßit, lacessere. Fructus, quem hinc ad vos redire peropto, est, partim ut secundùm fundamenta à me allata actiones vestras omnes sic instituatis, ut deinceps quam ingreßi estis proborum parentiumque Regi suo Subditorum viam semper insistatis: partem vero, ut si in eos incideritis, qui laudabunt aut excusare conabuntur, præteritas, quæ in hoc regno vel alibi eruperunt, Rebelliones, adversus Sirenos eorum cantus exempla particularia, quæ adducturi sunt, ad normam horum principiorum revocando, armati sitis. Qua ratione fiet, ut recte judicetis, sententiam ferentes de omni actione pro qualitatibus ejus solum: non autem ex præconceptis vestris de authoribus existimationibus: Sic repentè, qui vobis ex usu sint, labores meos susceptos in jucunditatẽ ac delectationem vertetis. Sed ne præfatio hæc justo sit longior, finẽ facio: vosque Deo commendo: me verò æquis vestris, & à charitate profectis censuris.

C. PHILOPATRIS.

Dis-

DISSERTATIO.

QUEMADMODVM populo unius cujusque loci nihil magis neceſſarium, ſecundum Dei ſui cognitionem, quàm vera fidelitatis ſuæ & obſequij, pro ea forma regiminis, quæ inter ipſos ſtabilita eſt, notitia: inprimis autem in Monarchia (quæ forma utpote referens Divinitatem, proxime accedit ad perfectionem, prout doctiſſimi ac ſapientiſſimi quiq; poſt hominum memoriã uno conſenſu tradiderunt cũ unitas rerum omniũ ſit perfectio:) Ita ignorantia & (quæ pejor eſt) falſa opinio multitudinis, opera eorum excæcatæ, qui ſe ad docendum rerum ignaros aptos eſſe exiſtimant, nonnullis, ijſque florentiſſimis Rebuspublicis attulit exitium: tot etiam ac tam graves coacervavit calamitates, quæ alijs extremam minarentur deſolationem. Fælix vero ſucceſſus & arridens, quem ſæpe habuit rebellio contra principes ſeculis ſuperioribus (tanta fuit temporis calamitas & injuria) tanquam praxis quædam, plurimos in errore ſuo confirmavit: etſi nullum argumentum ſit fallacius, quam ſi ſemper de cauſæ bonitate ac juſtitia ex eventu judicium feratur, prout pluribus infra ſum confirmaturus.

Quanquam vero omnibus Rebuſpublicis cognitio hæc neceſſaria eſt: nulla tamen unquam fuit, inde ab ipſo rerum primordio, quæ magis ea indiguerit, atque hæc ipſa noſtra, quæ tamdiu inordinata & turbata jacuit. Ab hac enim & quidem una ignorantia, quam attigi, infinitæ illa

cãla mitates, miſeriæ, &ἀπαξίαι, tanquam uberrima ſcaturigine manarunt: quas multi ſenſerunt potius, quam cauſas earum cognoverunt, aut attenderunt. Amor itaque mihi innatus, quo patriam hanc meam perſequor, miſericordia etiam, qua commoveor, dum eam videam tam diu diſtractam, tanquam careat vera illa obſequij ſubditorum in principem ſuum cognitione, impulit me tandem, ut ſilentium abrumperem, cum ut conſcientiam meam erga vos (populares dilecti) exonerarem: tum verò ut vos ubi reſciveritis, unde hæc veſtra tam multa & infinita mala, quorum fructus acerbiſſimos nimis diu guſtatis, orta ſint, cognitione ac fuga ipſius cauſas, juſtiſſimos & deplorandos ejus effectus, qui ipſam ſemper & neceſſario comitantur, auertere & vitare poſſitis.

Statui ergo hac diſſertatiuncula, tantum vera mutui officij & obligationis inter liberum & abſolutum Monarcham & ſubditos fundamenta proponere: non autem reſpondendo theſibus contrarijs, quas non puduit nonnullos, magno infinitæ multitudinis rerũ ignaræ malo, ſuo verò ſempiterno & meritiſſimo dedecore, literis mandare, veſtra abuti patientia. Eis enim ſi reſpondiſſem, fieri non potuiſſet, quin interdum acrius in ipſorum perſonas invectus eſſem. Quæ res potius contentiones inter lectores (prout probaſſent improbaſſentve) peperiſſet, quàm ſolidè eos in veritate inſtituiſſet. Hunc autem mihi unum hic eſſe ad quem collimo, ſcopum, eum atteſtor, qui omnium corda ſcrutatur.

Primò igitur, cum Monarchia, ut dicebam, verum ſit exemplar Divinitatis, ſolida fundamenta, quibus mihi ſuperædificandum eſt, ex ſacris literis proponam: *Secundò* ex legibus hujus Regni noſtri fundamentalibus: *Tertiò* ex lege Naturæ varijs ab ea petitis ſimilibus: *Ad extremum* graviſſima ſpecioſſimaque incommoda, quæ contra poſſunt objici, diluam.

Officium Principis erga ſuos ſubditos tam perſpicuè multis Sacræ Scripturæ locis deſcriptum extat: tamque manifeſte ab omnibus bonis principibus ſecundum juramentum, quod præſtant in ſua inauguratione, agnoſcitur: ut nihil neceſſe ſit, in eo declarando diutius immorari. Pauciſſimis igitur illud percurro.

Reges à Rege prophetico *Dij* dicuntur, eo quod in terris Dei ſolio inſident, eique adminiſtrationis ſuæ rationem reddere tenentur. Officium ipſorum eſt, populo (*Pſal* 101) juſtitiam & judicium adminiſtrare, ut idem Propheta loquitur, evehere bonos: punire malos: Bonas leges inter ſuos ſtabilire: Et ut eis præſtent obedientiam, efficere: ut à multis pijs Regib. Juda factitatum eſt: Pacem populi promovere ac fovere, quem admodum iterum David docet: omnes quæ inter eos incidere poſſunt, contro-

controverſias, quod fecit Salomo, (1.*Reg.*3.) decidere: Miniſtros Dei eſſe, bono eorum, qui bona faciunt, & ut tales in eos vindicare, qui quod malum eſt agunt, ut habet Apoſtolus. Denique ut decet bonos Paſtores, egredi coram ſuis ſubditis, & proſperitate ſua eorum tranquillitatem & incolumitatem procurare. Sicut 1.Sam. & apud Ieremiam habetur.

Hac de cauſa non ſolùm Reges noſtri, verùm etiam omnes ac ſinguli Chriſtiani Monarchæ in ſolenni ſua inauguratione jurant, *Primum* ſe Religionem eam, cujus pro tempore in ſua ditione ſit profeſſio, ſecundum eas leges, quibus ſtabilita eſt, conſervaturos: omnes autem, qui exercitium ejus publicum mutare aut perturbare conabuntur, punituros. *Deinde* ſe juſtas omnes ac laudabiles leges ab anteceſſoribus ſuis latas defenſuros, eaſdem adminiſtraturos, utque ex ijs violatores earundem pœnis afficiantur curaturos. *Poſtremo* ſe regnum univerſum & ſingulos, qui in eo ſunt, ſtatus & ordines; ut antiquis fruantur privilegijs immunitatibuſque, tam adverſus omnem vim externam quam internam, tuituros & propugnaturos. *Ad ſummam*, jurat unus quiſque Monarcha Chriſtianus, ſe id curaturum, ut ſalus & proſperitas populi ſui promoveatur, firmetur, defendatur: non ſolùm antiquas Regni leges tuendo & exequendo, novaſque (prout neceſſitas & mali hominum mores requirere videbuntur) ſanciendo: Sed etiam alia omnia media, quæ quidem provideri poſſunt, adhibendo: Se etiam omnibus imminentibus ejus periculis occurſurum: concordiam, proſperitatem, urbanitatemque inter ipſos, tanquam benignum patrem & ſollicitum vigilem, foturum, majorem de ipſis quam de ſe curam gerens: cum ſciat ſe ipſorum, non illos ipſius cauſa eſſe conſtitutum: ac propterea magno illi Deo, à quo tanquam vicarius ipſis, ut quantum poteſt, ſub animæ ſuæ periculo omnium eorum tam corporis quam animæ curet ſalutem, præfectus eſt, rationem redditurum eſſe.

Atque hoc juramentum, quod præſtant Monarchæ, cum Regnum ineunt, clariſſima eſt civilis & fundamentalis Lex, per quam Regis munus & officium definitur.

Legem Naturæ quod attinet, Rex ex ea ſolemni ſua inauguratione fit pater totius populi ſui. Quemadmodum autem ex officio paterno tenetur pater curare, ut liberi ſui alantur, honeſtè educentur, pieque regantur: ita etiam Regis eſt omnium ſubditorum ſuorum affici ſollicitudine, ut pater omnes labores ac moleſtias, liberorum ſuorum cauſa ſuſceptas, exiguas optimeque collocatas exiſtimat, modò in ipſorum cedant commodum: Sic etiam Princeps de ſuis quos perfert ſubditorum gratia debet ſtatuere. Ut benigni patris eſt, ea omnia pericula & incommoda,

quæ

quæ natis ſuis accidere queunt, providere, eaque omni conatu, etiam cum capitis ſui diſcrimine propulſare: Adeundem modum Rex ſubditorum ſuorum pericula perſpicere, antevertere, & ab eorum cervicibus depellere tenetur. Sicut patris ira in filios, à quibus offenſus eſt, ac animaduerſio, quamdiu reliqua ſpes eſt emendationis, attemperanda eſt miſericordia: ita etiam Regis in quoſuis ſuos ſubditos, qui delinquunt. Denique ut rem in pauca contraham, quemadmodum patris eſt nulla re delectari magis, quàm de liberorũ ſuorum ſalute: exultans, ſi bene, contra indolens, ſi ipſis male ſit: item ſubire diſcrimina, ut tuti ſint, labores ſuſcipere, ut quieſcant: vigilare, ut ſomno fruantur: unico verbo ſtatuere omnem quam in hoc mundo conſequi poteſt beatitudinem, atque adeo vitam ſuam conſiſtere & vigere magis in eis quam in ſeipſo: ſic etiam principem erga ſuos ſubditos affectum eſſe decet.

Jam ut ad alterum membrum hujus mutui vinculi accedam, id eſt, officium & obedientiam, quam ſubditi Regi ſuo præſtare tenentur: fundamentum ejus peto ex verbis Prophetæ Samuelis divinitùs inſpiratis: poſtquam mandaſſet ei Deus, ut petitioni populi, Regem eis eligendo & unctione confirmando, annueret. Qui locus bene intellectus cum maximè huc faciat, ipſiſſima textus verba adſcribenda putavi.

Nunc itaque auſculta voci illorum, veruntamen cum ſedulò conteſtatus fueris contra eos, & indicaveris eis rationem iſtam Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos. Itaque indixit Samuel omnia verba Iehovæ populo petenti à ſe Regem. Ac dixit: Hæc erit ratio ipſa Regis, qui regnabit ſuper vos: Filios veſtros accipiet, ut ſibi diſponat in curribus ſuis: Et in equitibus ſuis, ut currant ante currum ſuum. Et ad diſponendum ſibi chiliarchas & præfectos quinquagenis, & ad arandum arua ſua, & ad metendum meſſem ſuam, & ad faciendũ inſtrumenta bellica ſua, & inſtrumenta curruum ſuorũ. Similiter filias veſtras accipiet in unguentarias, in coquas & in piſtrices. Etiam agros veſtros, & vineas veſtras ac oliveta veſtra optima accipiet, & dabit ſervis ſuis. Semina quoq; veſtra & vineas decimabit, & dabit aulicis primoribus ſuis & ſervis ſuis. Servoſque veſtros & ancillas veſtras ac juvenes veſtros præſtantiſſimos & aſinos veſtros accipiet, adhibebitque ad opus ſuum. Greges veſtros decimabit, denique vos eritis ei ſervi. Adeo ut clamaturi ſitis die illa propter Regem veſtrum quem elegeritis vobis. Sed non exaudiet vos Iehova die illa. Renuerunt tamen populus auſcultare voci Samuelis, & dixerunt, Nequaquã, ſed Rex præerit nobis. Vt ſimus nos quoq; ſicut omnes iſtæ gentes, & vindicet nos Rex noſter, & præcedens ante nos gerat bella noſtra.

Hæc verba Samuelis à ſpiritu Dei dictata eſſe, nulla præter iſtam eget probatione: quod verba ſint S. Scripturæ: *quæ omnis*, ut loquitur Apoſtolus, *divinitus inſpirata eſt.* Quod quidem principium nemo verè Chriſtia-

Christianus unquam negaturus est. Unde necessario consequitur, hos sermones non esse profectos ab ulla, quæ Prophetæ, utpote invito imperium, quod jam diu gesserat, deponenti, ac proinde cupido populo dissuadenti, Regis gubernationem invisam ei atque odiosam reddendo, importunam precem, qua Regem sibi præfici rogabant, inesset, ambitione. Nam ut è textu clarum fit, eos hoc fine alloquitur, ut absolutè concedat eorum petitioni, prout Deus ipsi totidem verbis injunxerat, dicendo. *Auscultа voci populi.*

Atqui multis velle dissuadere illud ipsum, quod concessurus veniebat, virum prudentem parùm decuisset, nedum summi Dei prophetam. Similiter vita ejus post acta satis ostendit, præcedentem petitionis populi & diuturnam recusationem ab omni animi elatione fuisse remotissimam: quod etiam intercessio ejus & quasi importunitas apud Deum, pro Saulis incolumitate satis comprobavit. Immo quanquam Deus ipsi declarasset, se jam Saulem reprobasse, ne esset Rex: tamen non destitit ab instituta pro ipso apud Deum interpellatione. Ista autem ejus verba prophetiam non esse de Saulis primi Regis Israelitarum defectione, non tantùm ex eo palàm est, quod scriptura nullam tyrannidis ejus & violentiæ faciat mentionem, (quæ tamen in ea, utpote vera vitæ ac morum eorum Regum, quos describit tabella, prætermissa non fuisset, non magis quam alia vitia, quibus laboravit) sed etiam quod ipse à Deo propter virtutem ac dona Regi populi sui convenientia electus est. Apostasia autem, qua postmodum à Deo defecit, à naturæ illius pravitate extitit, non autem ab aliqua Dei culpa: quem alij, qui contra statuunt, populo suo faciunt vitricum, quippe qui regimini populi sui omnium ineptissimum, & quidem volens elegerit: præsertim cum electio ista absolutè & immediatè penes Deum esset.

Contra autem planissimum est hanc Samuelis ad populum orationem eò spectasse ut appararet eum ad parendum isti Regi, quem Deus ei erat daturus. Hæc causa est quod ipsis aperit, quàm non ferendis qualitatibus nonnulli Reges eorum possent esse præditi, ut sic ad patientiam eos instituerет: ne Dei resisterent ordinationi, perinde ac si hoc modo eos fuisset alloquutus: Cum Deus importunæ vestræ petitioni, qua ab ipso Regem petivistis, annuerit: peccaveritisque abijciendo Dei jugum, & præsentinanter Regem quærendo: cavete plurimum ab altero præcipitio, ne vestrum onus, quod petitione vestra Deus vobis imposuit, quantumvis grave ac molestum esse videatur, eadem temeritate abijciatis. Nam quemadmodum Regem Deo non permittente & ordinante, ferre non

poteratis: ita etiam eo ſuper vos conſtituto, imperium ejus detrectare non poteſtis, niſi eodem Deo approbante. Tempeſtivè itaque patientia & humilitate vos ipſos armate, quandoquidē in ejus unius poteſtate eſt Regem deturbare, cujus eſt evehere & ſtabilire. Id unum autem veſtrum eſt, nempe ut obtemperetis, extrema iſta, de quibus vos nunc moneo, patienter ferentes, certò perſuaſi, non magis vobis licere ea abijcere, quam ipſiſſimam Dei manum vobis incumbentem.

Si vero lubet ipſa textus verba ordine perpendere, manifeſtè reverentiam & obſequium, quæ modis omnibus Regi ſuo præſtare tenentur ſubditi, nobis declarabunt.

Principiò duo ſunt, quæ Deus Samueli imperat: alterum ut populo petenti Regem annuat: alterum ut eos præmoneat de ijs, quæ ab aliquibus ſuis Regibus erant perpeſſuri, ne poſtmodum cum ſenſerint laqueos prædictos, frementes & obmurmurantes dicant, nunquam Regem à Deo eramus accepturi, ſi nos præmoniſſet, nos ſic, quemadmodum nunc, etſi nimis ſero experimur, fore accipiendos. Id dicitur his verbis: *Nunc itaque auſculta voci ipſorum. Veruntamen quantum ſedulò conteſtatus fueris contra eos, & indicaveris eis rationem iſtam Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.* Quod Dei mandatum dum Samuel exequitur, duo etiam facit. Primum enim ijs declarat, quibus in rebus Rex eorum juſtitiam & æquitatem violaturus ſit. Secundum omnem eis præcidit ſpem obtinendæ permiſſionis, utut Regiæ gubernationis eos diſtædeat, jugum illud, quod Deus ipſis importunitate ipſorum adductus impoſuiſſet, excutiendi. Quæ æquitatis ſunt, & Rex ipſorum non eſt obſervaturus, his verbis exprimuntur:

Filios veſtros accipiet, ut ſibi diſponat in curribus ſuis, & currant ante currum ſuum. Et ad diſponendum chiliarchas & præfectos quinquagenis, & ad arandum arua ſua, & ad metendum meſſem ſuam, & ad faciendum inſtrumenta curruum ſuorum. Similiter filias veſtras accipiet in unguentarias, in coquas & in piſtrices.

Ea vero quæ Iuſtitiæ ſunt, à Regi ipſorum non obſervanda, ſequentibus verbis enarrantur:

Agros veſtros, & vineas veſtras, ac oliveta veſtra optima accipiet & dabit ſervis ſuis. Semina quoque veſtra ac vineas decimabit, & dabit aulicis ſuis & ſervis ſuis. Etiam greges veſtros decimabit.

Quaſi dicat: Præſtantiſſimi & nobiliſſimi quique inter vos, abjectiſſima & maxime ſervilia officia ei præſtare cogentur. Patrimonio ſuo haud contentus ex optimis veſtris agris, vineis, pomarijs, gregibuſque reditus ſibi comparabit: adeo ut lege ipſa naturæ Regioque munere ab ipſo

ſpretis

ſpretis & inverſis, veſtri liberi, agri, omnes denique veſtræ poſſeſſiones, ejus unius utilitati & libidini ſint ſervituræ.

Alterum quod continet, præmonitionem puta, qua ipſis non permiſſum iri docet, ut jugum abijciant, quod ipſis Regem impoſuerit, quantumvis imperium Regium faſtidiant, ea his verbis proponitur:

Clamaturi eſtis die illa propter Regem veſtrum, quem elegeritis vobis: ſed non exaudiet vos Iehova die illa.

Sententia eſt: cum ipſe eventus rerum harum, de quibus vos præmoneo, comprobavit veritatem: etſi eas frematis: tamen vobis onus hoc deponere non licebit: non tantum eam ob cauſam, quod Rex talis vobis eſt à divina ordinatione: verum etiam quod vos ipſi eum Regem vobis elegeritis, eaque ratione, omnibus in perpetuum ſcientes prudenteſque renunciaveritis privilegijs, ex quibus eam poteſtatem poſtmodum eſſetis ad vos revocaturi, quod Deus vobis non eſt conceſſurus. Et ut nullum omnino ulli excuſationi relinquat locum, aut contractus hujus retractationi, poſtquam in jugi hujus, omniumque quæ illud comitabantur, difficultatum, quas ipſis propoſuerat, receptionem ultro conſenſiſſent, petit propheta, ut reſpondeat ſuaque aſſentiantur propoſitioni: quod manifeſtum fit ab eorum reſponſo, his verbis expreſſo:

Nequaquam, ſed Rex præerit nobis. Et nos etiam erimus ſicut omnes aliæ nationes: & judicabit nos Rex noſter, & præcedet ante nos, bellaque noſtra geret.

Ac ſi dicerent: Conteſtatio hæc tua & iniquæ conditiones, quas nobis exponis, nos à propoſito noſtro non deterrebunt: Sed quicquid ineſt huic regimini boni vel mali ſuſcipiemus, nec detrectamus, quin omnia & ſingula onera, quæ Regi noſtro nobis imponere placebit, non minus quam aliæ Nationes feramus. Quæ quidem onera tanto æquiore portabimus animo, quanto majores ſunt utilitates, quæ ex eo, quod bella noſtra geſturus eſt, ad nos ſunt redituræ.

Cum itaque Regni hujus & Monarchiæ conſtitutio inter Judæos, atque ejuſdem lex, exemplar eſſe queat, imo debeat, ad quod omnes Chriſtianæ & bene inſtitutæ Monarchiæ debeant conformari, utpote ab ipſomet Deo fundatæ, cujuſque lex ſacerrimo oraculo ipſius ore prolato ſit ſancita: quam tandem vendicare ſibi poſſunt ſpiritus ferventes menteſque rebelles, adverſus ullam Monarchiam Chriſtianam, libertatem: præſertim cum arrogare ſibi ac ſuis majorem ea nullam poſſint, quam Dei populus ſibi tribuere potuiſſet, nec ulla unquam Tyrannis major ab ullo ſive principe ſive tyranno, quem quidem objicere queant, fuerit exercita hac ipſa (ſi modo hominum corpora, eorum filios, filias, ſervoſque ſic crudeliter

habere, nobiliſſimos quoſque viros ac mulieres in viliſſimam redigere ſervitutem: fortunas eorundem expilare, & in ſuum unius, aulicorum item & ſervorum ſuorum convertere & abuti commodum, tyrannis dici deceat) de qua populus Dei (cui tamen ne ulla ratione rebellet interdicitur) hic præmonetur? & quo magis magiſque veritas hujus aſſertionis in ſacris literis fundatæ ipſa praxi, quæ in ijſdem ſæpè firmatur, eluceſcat: non legimus uſquam Prophetas authores fuiſſe ſubditis, ut in principem, quantumvis impium, rebellarent.

Quum Samuel, Deo id jubente, huic ipſi Regi Sauli denunciaret, regnum ejus laceratum eſſe ab ipſo (quod revera nihil aliud erat quàm ipſum loco ſuo & dignitate moveri) moxtamen nulla alia interveniente ejus actione, domum pacatè reverſus eſt, lachrymarumque largis effuſis rivis, à Deo precibus contendit, ut aliqua erga Saulem uteretur miſericordia.

David etiam, quanquam in Regis illius à Deo rejecti locum eſſet inauguratus, & crudeliter ab eo, non quòd malè ſed quòd optimè de ipſo eſſet promeritus, infeſtaretur: non ſolum vix auſus eſt, (etſi eum haberet in ſua poteſtate) veſtimenta uncti Jehovæ, cui etiam verbis benedixit, attingere: verùm etiam, cùm ad eum veniret, qui profiteretur jactaretque etſi falſo, ſe Saulis eſſe percuſſorem: abſque ulla judicij forma, aliaque in eum inquiſitione, tantum quòd lingua ſe reum feciſſet, eum morte repentina afficiendum curavit.

Et quamvis nullus unquam immanior extiterit perſecutor, nec tyrannus ſævior Achabo: omnis tamen rebellio, quam Elias contra eum ſuſcitavit, fuga fuit in deſertum, ubi deficientibus cibarijs à corvis ſuſtentatus eſt. Neminem autem fore exiſtimo, qui dubitaverit, Samuelem, Davidem, & Eliam non minorem habuiſſe populo perſuadendi poteſtatem, ſi abuti ſua authoritate ad excitandas contra hos tam impios Reges ſeditiones & Rebelliones ipſis fuiſſet integrum, quam ulli ſeditioſi concionatores noſtris temporibus, cujuſcunque tandem fuerint Religionis, ſive apud nos, ſive in Gallia, qui præcipuè occupati fuerunt in Rebellionibus movendis, & quidem ſpecie pietatis & Religionis, habuerint. Quod ipſum, ut & ea, quæ hactenus nonnihil attuli, Satyrice, non motus (Deus mihi teſtis eſt) aliquo in perſonas ipſorum odio, ſed unicæ veritatis amore.

Si quis verò, ut populi palliet rebellionem, extraordinarijs nitatur eorum exemplis, qui in Scripturis leguntur, Reges de faſtigio ſuo deieciſſe aut interfeciſſe: qualia ſunt Jehu, & ſi quæ ſunt ejuſmodi: Ei reſpondeo,

præ-

præterquam quòd populus ea destituatur authoritate, qua muniti fuere, quorum exempla adferuntur: si exemplis Sacræ Scripturæ extraordinarijs vivendum sit: cædes sub fidei praetextu, ut in Ehude & Jaele: furtum, ut in Israelitis Ægypto migrantibus, mentiri parentibus in fraudem fratris sui, ut in Jacobo, hæc inquam omnia æquè ac eodem jure, quo Rebellio contra principes, inter egregia facinora & præclaras virtutes erant numeranda. Breviter ut concludam, praxis quæ nobis in tota scriptura describitur, comprobat, subditos obedientiam isti divinæ legis axiomati præstitisse. *Iudices non execraberis & principi populi tui non maledices.*

Ut igitur finem imponam primo assertionis meæ fundamento, claudant hanc ejus partem duo apprime notanda exempla, quorum alterum sub Lege, alterum sub Evangelio nobis proponitur.

Sub lege propheta Jeremias populo Dei extremam minatur perniciem & interitum, si in Regem Babelis *Nebucadnezarem* rebellarent: Persecutor erat, Idololatra extraneus, tyrannus erat, & hostis capitalis libertatis eorum: nihilominus cùm eum recepissent, & pro Rege suo agnovissent: non sufficit prophetæ præcipere, ut ei præstent obsequium: sed etiam vult, ut pro ejus prosperitate Deum rogent, & quidem adjecta ratione, quod in ipsius incolumitate ipsis pax futura esset.

Sub Evangelio, Rex ille, cui jubet Romanos obedire Apostolus, & propter conscientiam servire, *Nero* fuit crudelissimus ille Tyrannus, ævi sui labes, mundi monstrum teterrimum, nec minus quam Rex Babelis, persecutor populi Dei idololatricus.

Si itaque defectio à Deo, in subditos suos tyrannis, & persecutio Sanctorum propter ipsorum professionem efficere non potuerunt, quin Spiritus Dei suis injungeret, sub pœna longe maxima, ut hisce Regibus omnem debitam sincero cordis affectu, & quidem propter conscientiam, obedientiam præstarent: dantes hoc modo Cæsari, quod Cæsaris, & Deo quod Deo erat, ut Servator loquitur: & praxis per totam S. Scripturam respondeat huic legi, quam sancivit Deus in Monarchiæ illius fundatione, (ut prolixe antea fuit declaratum) quæ tandem ista impudens erit præsumptio & arrogantia in hominibus Christianis, si ulli eorum eam hodie sibi illegitimam vindicent libertatem, quam Deus proprio suo ac dilecto populo abnuit?

Quare ne sim longior & paucis sententijs, argumentis hisce ex lege divina allatis, superstructis, officium subditorum erga regem suum complectar. *Aio, eis Regi suo, tanquam Dei in terris vicario, esse obediendum: Mandata ejus tanquam ministri Dei in omnibus, exceptis quæ directe Deo adversantur,*

esse obseruanda: agnoscendum judicem super eos à Deo constitutum, habentem quidem potestatem ipsos judicandi, sed ab uno Deo judicandum, cui soli judicij sui rationem reddere tenetur, metuendum esse ab ijs tanquã judicem, diligendum tanquã patrẽ: pro eo orandũ, tanquã pro defensore, ut perseveret in bono, si bonus: ut cõvertatur, si malus fuerit: sequenda & seruanda mãdata ejus justa; declinandum ac fugiendum ejus furorem in iniustis, nec resistendũ esse ei, præterquã suspirijs & lachymis ad Deum fusis; Secundum illud frequenter in Ecclesia primitiua persecutionis tempore usurpatum: *Preces & lachrymæ sunt arma Ecclesiæ.*

Jam quod attinet obsequij & obedientiæ, quam Regi suo debent subditi, ex fundamentali & Civili Jure, præsertim hujus Regni, descriptionem, quam me secundo loco propositurum recepi: videndum nobis ante omnia, qui primitus mos fuerit apud nostros leges ferendi, formamque Regiminis stabiliendi. Hoc enim rectè posito fundamento, postea rectè eidem superædificare nobis haud erit difficile,

Et si res ita habeat (quemadmodum affirmant illi, qui se Tyrannomastyges esse jactitant) nimirum prisco illo & & primo ævo, quo Reges existere cæperunt, inter gentes, varias Respub. & societates unum aliquem cæteris virtute præstantiorem è corpore suo elegisse, & ad honoris illius fastigium evexisse, ut tenuiores injuria prohiberet, oppressores coerceret, societatemque humanam foveret & præservaret: quod quidem alia ratione, quam vi illius unionis, fieri commodè non poterat, tamen hæc exempla nihil ad nos, quandoquidem alia est longe ratio tam nostri hujus Regni, quam aliarum Monarchiarum bene multarum, quarum origo prorsus absimilis.

Nam ut proditum est chronicorum nostrorum monumentis, Insula nostra, inprimis autem hæc ejus pars, quam incolimus, vix culta cum esset & inhabitata à pauciss imis, ijsque barbaris, & ab omni propemodum civilitate alienis: Primus Rex noster Fergusius, & cum eo magna manus ex Hybernia, quæ diu ante nostram Insulam culta fuit, advenit: eaque qua suis ex Hybernia adductis viribus qua benevolentia auxilioque incolarum, qui ultro partes ejus sequuti sunt, subacta, se Regem & Dominum cum totius ditionis, tum etiam omnium incolarum constituit. Ex eo ipse & successores ejus, longo post tempore quam rerum essent potiti, leges tulerunt stabiliverunt que, prout sibi res ferre videbatur. Veritas itaque directè retragatur, si de statu nostro quæritur, falsæ eorum seditiones molientium scriptorum assertioni persuadere nobis conantium, leges statumque Regni nostri constitutum fuisse, antequam Rex ullus admitteretur. Contra enim clarè probatum intelligitis, sapientem Regem

ad

ad Barbaros venientem, ſtatum & formam regiminis primum inſtituiſſe, poſtea vero leges tuliſſe, ijſque convenienter poſt eum ſucceſſores.

Reges igitur in Scotia, ante hominum ullos ſtatus vel ordines inſtitutos, ante comitia ulla, quæ Parlamenta vocant, celebrata, ante ullas leges latas fuerunt: & ab ipſis territorium (quod prius totum ipſorum erat) fuit diſtributum, ſtatus decreti, formæque regiminis introductæ & confirmatæ: Ex quo conficitur neceſſario, Leges à Regibus, non à Legibus Reges eſſe conſtitutos.

Quod ut amplius probetur, ab inſtrumentis Archivi noſtri (quæ antiquiſſimas & fundamentales noſtras leges habent) patet, Regem eſſe Dominum omnium bonorum: item Dominum directum totius dominij, omnes autem ſubditos eſſe tantum ejus vaſallos, & quoſcunque poſſident agros, eſſe ipſius, tanquam ſupremi domini Feuda: qui ea pro cujuſque erga ſe meritis prorſus mutat, novos erigit Baronatus, veteresque unit, inconſulto Parlamento, omnique alio inferiori foro. Adeo ut ſi injuriam committere cuiquam liceret (quanquam ultro concedam, injuriam pro injuria habendam eſſe, à quocunque tandem alteri inferatur:) Regi melior prætextus eſſet, ſi pro arbitratu libituque ſuo omni alia deſtitutus ratione, agros ligijs ſuis hominibus & ſubditis, tanquam ſupremus totius ditionis dominus auferret, coſdem cui vellet, cum omnes ſint ipſius Feudum, donaret: quam ſubditis eſſe poteſt, Regem de ſolio ſuo (quod licere ipſis authores male ſani ſentiunt) detrahendi, aliumque in locum ejus ſufficiendi. Sed tam hoc quam illud, utpote illegitimum & Dei repugnans ordinationi, æque indigum eſt, ut de eo boni cogitent, ne dum ut effectum dare conari liceat.

Legibus his quas adduximus Regni noſtri Fundamentalibus reſpondet praxis cottidiana. In Parlamento enim (quod quid eſt quam ſuprema Regis & vaſallorum ejus curia?) Leges tantum rogant ſubditi, à Rege autem uno rogatu & ſententia ipſorum conſtituuntur. Quanquam enim Rex indies conſtitutiones ſanciat, indictis ijs pœnis, quas convenire exiſtimat: idque re nec cum Parlamento nec cum ordinibus communicata: non eſt tamen in ullorum comitiorum poteſtate, legem aliquam aut ſtatutum condere, niſi Regis accedente authoritate, quæ vim legis obtineat.

Et licet ſtirps Regia ſæpe fuerit alibi mutata, Regnis vi & armis ab una ad aliam translatis, prout in vicino nobis Angliæ regno (nunquam in noſtro) accidit: idem tamen jus Regium in ditionem univerſam, ejuſque incolas reliquarum liberatum eſt, quod hujus noſtræ Monarchiæ.

Nam

Nam cum ſpurius ille Normandiæ in Angliam veniret, ſeque Regem ejus cõſtitueret: annon id factum vi & præpotente exercitu? Leges tulit, nullas accepit, veteres antiquavit, formam regiminis immutavit, multiſque indigenis poſſeſſione ſua pulſis & deturbatis extrancis, à quibus fuerat adjutus, bona ipſorum dedit, illoſque in eorundem locum ſubſtituit.

Quod ita eſſe vel illud etiam hodie arguit, quod bona pars Nobilitatis Anglorum ex Normandis oriunda eſt, eorumque Leges, quibus vivunt, non Anglico, ſed ſpurij illius ſcriptæ ſunt idiomate: Nihilominus ſucceſſores ejus feliciſſimè eo regno in hodiernum diem potiti ſunt, prout ij etiam fecerunt omnes, à quibus ante ipſum Angli ſubacti ſunt.

Et ut argumentum hoc finiam, Regem totius dominij ſuprem um eſſe dominum, ſimiliter firmatur varijs noſtris legibus, etiam hodie vigentibus: Theſauraria nimirum de Hæredum defectu & ſpurijs. Nam ſi Theſaurus terra effoſſus inveniatur, cum pro derelicto habeatur, nemine eum aſſervante, nec utente, ex lege Regis eſſe intelligitur. Si quiſpiam hæres agrorum bonorumve aliorum abſque heredibus è vivis diſcedat: omnia ejus tam mobilia quam immobilia ad Regem revertuntur. Si ſpurius legitimatione, quæ penes ſolum Regem eſt, non impetrata, nulliſque ex ſe natis heredibus relictus moriatur: omnia ejus bona ſimiliter Regi cedunt. Quemadmodum autem, quod clare videtis probatum, Rex totius ditionis, ita etiam omnium, qui eam incolunt, dominus eſt, habens in ſingulos vitæ ac necis poteſtatem, etſi enim nemo juſtus princeps vita mulctabit vel infimum ſuorum niſi lege apertiſſima: tamen leges, ex quibus ſubditos plectit capite ab ipſo vel ſaltem ab anteceſſoribus ipſius latæ ſunt. Poteſtas igitur ſemper ab eo eſt.

Experientia etiam cottidiana teſtatur, bonos & juſtos principes novas ſubinde ferre leges & conſtitutiones, pœnas earum tranſgreſſoribus irrogantes, cum tamen committere, quod eis prohibetur, antequam latæ eſſent, ſubditis crimini non fuiſſet.

Non nego tamen antiquam legis & Regis definitionem, qua definitur Rex, Loquens lex: Lex vero Rex mutus. Nam revera Rex qui ſuos non regit ſecundum leges, neque Deo adminiſtrationis ſuæ rationem reddere, nec beatum aut firmum Regnum habere poteſt.

Nam etſi verum ſit, quod pluribus probavi, Regem nimirum eſſe ſupra legem, cum & ejus author ſit, & vim omnem, quam habet, ei tribuerit: tamen bonus Rex non ſolum id operam dat, ut ſubditos ſuos gubernet Legibus, eorumque imperio præſcripto: ſed etiam omnes actiones ſuas ad

eas

eas conformat: semper innixus certissimo principio, salutem Reip. summam legem esse. Ubi vero animaduertit, leges esse ambiguas, aut nimis severas: potest eas interpretari & mitigare, ne si non fiat, summum jus sit summa injuria. Leges itaque generales publicè latæ in Parlamento possunt certis de causis & circumstantijs Regi soli perspectis ab eo mitigari, earumque administratio sola ipsius authoritate differri.

Similiter etiamsi dixerim, Regem actiones suas ad Legis normam directurum: tamen ad eam normam non adstringitur necessitate, sed voluntate & causa exempli, quod subditi imitentur. Nam dum promulgatur lex, ne quis carnibus vescatur Quadragesima: Rex quidem eam ab aula sua propter exemplum jubebit observari: nemo tamen est qui existimet, ipsi licentiam carnes comedendi nummis esse redimendam. Legibus nostris interdictum est, ne quis sclopos, cujuscunque tandem sint generis, gestet vel circumferat. Nullus tamen vitio vertet Regi, si comitatui suo eorum usum imperet, cum prædones alioſque homines sceleratos aut perduelles persequi voluerit.

Bonus Rex itaque etsi supra legem est, ut modo dicebam, curabit tamen ut actiones suæ legi respondeant, & ex mera sua voluntate: sed non quasi legi subjectus, nec ad ejus observationem obligatus.

Jam postquam ita clarè probatum est à me ex legibus Fundamentalibus, & praxi hujus nostri regni, quid juris & potestatis habeat Rex in ditionem suam & subditos: intellectu perquam est facile, quam obedientiam ei præstare teneantur ejus subditi. Loquor autem de ejusmodi liberis Monarchijs, qualis hæc nostra est, non autem de ijs Regibus, quibus electione Regna obveniunt: ac minime omnium de ejusmodi Ducibus, cujusmodi sunt VENETIANI, quorum Aristocraticum & certis finibus circumscriptum finitumque imperium, nulla ratione liberis Monarchijs (etsi ea nonnullorum fuerit malitia, ut non puduerit eos, nullum inter utramque Regiminis formam discrimen agnoscere) est æquiparandum. Quod si nullis principibus nec Dynastis feudatarijs & vasallis, quemcunq; adferant prætextum, licet arguere nec removere supremum suum dominum (quod ipso Sole clarius est ex omnium gentium legibus) quantò minus subditis & vasallis maximi sui domini Regis puta, resistere ei, aut de solio eũ deturbare licebit? Nullum est in universo Regno forum, in quo fas est subditis magistratum suum quamvis inferiorem, removere: neque enim oppidanis integrum est, Prætorem suum dejicere de loco ante tempus quo novus creandus est: nec in politia Ecclesiastica grex ulla specie potest pastorem suum dignitate sua privare: neque etiam de eo ferre judicium; Imo ne misellus quidem ludimagister à suis discipulis potest jure rejici.

Quod ſi hi inquam (quorum nonnulli inferiores tantum ſunt ſubalterni & temporarij magiſtratus, nullus autem eorum ulla ratione dignitate cum Rege comparandus) nulla de cauſa, nulla ſpecie nec prætextu removeri debent ab ijs, quibus præfecti ſunt: quanto minus licitum exiſtimabitur ullo obtentu magnum Prætorem & ludimagiſtrum totius regni coarguere & deturbare? Niſi forte tota ratione legum omnium & univerſi ordinis inverſa, ij, qui parent, ſuperiores eorum, quibus parent, qui judicantur, judicum, quique reguntur, rectores dominorum præpoſitorumque ſuorum conſtituantur.

Convenientia vero legis Naturæ in hoc noſtro fundamento, cum legibus & conſtitutionibus divinis & humanis jam allatis à duobus ſimilitudinibus fiet evidentiſſima. Rex ad ſubditos ſuos rectè patri liberos habenti, & capiti corporis ex varijs membris compoſiti, cõparatur. Quicunque enim in Dei populo boni fuerunt principes & magiſtratus, ſe erga ſubditos ſuos patres eſſe agnoverunt & profeſſi ſunt. Alias vero Reſpub. bene conſtitutas quod attinet, titulus Patris patriæ ſemper tributus eſt, & plerumque adhuc Regibus tribuitur. Et certè Regis erga ſubditos ſuos munus, cum officio capitis erga corporis & ſingula ejuſdem membra apprime cõgruit. A capite enim rationis & judicij ſede oritur cura & providẽtia moderandi corpus, & præveniendi omnia adverſa, quæ vel ei, vel parti ejus alicui queant accidere. Caput ſolicitum eſt de corpore, & Rex de ſuis ſubditis, ut ratiocinatio & directio à capite fluit: Exequutio autem ei reſpondens ad cætera membra pertinet, ſecundum munus uniuscujuſque eorum, ita etiam inter principem & ſubditos ſe res habet. Quemadmodum judicium à capite procedens non tantum uti poteſt ſingulorum membrorum munere, quamdiu quidem id obire poſſunt: verum etiam ſi ullum eorum affectum ſit ac perturbatum, debet proſpicere de remedio, quo reſtituatur: aut ſi nulla ratione curari queat ut ſecetur, ne cætera inficiat: ſic etiam princeps. Denique prout ſemper aliqua ſpes ſupereſt ſanandi membrum affectum morbo, capitis auſpicijs, quamdiu illud ſanum eſt: contra vero ſi ipſum morbidum fuerit, reliqua omnia membra ei malo communicant: ita etiam ſe res habet inter principem & ejus ſubditos.

Jam vero de patre, cujus στοργὴν erga ſuos liberos prima hujus tractatus parte (ubi de Regum in ſubditos ſuos officijs) explicui: diſpicite quæſo, quid ei debeant nati, & an non monſtroſum & contra naturam futurum ſit, quicquid tandem obtendatur, ſi filij ejus in eum inſurgant, ei cb loquantur, pro arbitratu ſuo reſiſtant, eoq; è medio ſublato aut rejecto, alium ſibi in ejus locum adoptent? Poteſt ne

ullus

ullus prætextus impietatis aut ſeveritatis ejus legitima eſſe liberis manus ipſi injiciendi cauſa.

Quamuis autem ita à natura comparatum ſit, ut amor aſcendat potiùs quam deſcendat: fac tamen verum eſſe, patrem liberos ſuos maximo odio proſequi, atrociſſimisque adficere injurijs. Eſt ne quiſquam tam ab omni ratione alienus, qui judicet, licere eis par pari referre? Imo fingamus; patrem furioſe filios ſuos gladio ſtricto inſequi? Quid: faſne ipſis erit converſis repercutere, aut ulla ratione quam fuga reſiſtere? Sane etſi præter brutorum & omni ratione deſtitutorum animantium exemplum nihil afferri poſſet, vel illud tamē confirmando huic argumento ſatis eſſet.

Haud rarò legimus apud authores, ſummam eſſe ciconiarum in parentes ſuos ætate confectos pietatem. Ac generatim novimus, varia eſſe tam aliarum beſtiarum, quam volucrum genera, quæ violenter, & quidem ſæpe non ſine ſangvine multiſque vulneribus pullos ſuos, ut primum vident, quod ſeipſos tueri poſſunt, à ſede pellunt. Nunquam autem nobis lectum, nunquam auditum, pullos majoribus ſuis, ſi viperas excipimus, reſiſtere. Quod argumento eſt, eos quos ratione præditos eſſe decebat, & tamen præter omnem rationem & naturæ inſtinctum exemplum hoc imitantur, viperea natura præditos & indutos eſſe.

De ſimilitudine autem capitis & corporis fieri quidem poteſt, ut caput cogatur membrum aliquod putridum, (ut modo dicebam) quo reliquum corpus ſanum ſervetur, ſecare: ſed quo loco corpus eſſe queat, ſi caput propterea que infirmum, maliſque nonnullis obnoxium ſit, amputetur, lectorum judicio relinquo.

Quare, ut etiam huic diſſertatiunculæ meæ præſenti finem imponam, ſi licitum eſt liberis ullo obtentu in patrem ſuum inſurgere, eoque rejecto aut exciſo alium ſibi in ejus locum pro arbitratu ſuo eligere: ſi corpus ut ſaluũ & incolume ſit poteſt jure propter ullas, quibus laborat caput, infirmitates, illud auellere. Fateor cauſam nullã eſſe, cur negem populo licere, contra principem rebellare, eum arguere, & pro animi ſui libitu tollere, aut de faſtigio dignitatis deturbare. An vero hæ, quas propoſui, ſimilitudines aptiores ſint, meliuſque ob oculos ponant Regis officium ijs, quæ petuntur ab artificibus & Medicis (à quibus tamen plurimum ſe oblectant ij ſcriptores, qui ſe ſententiæ noſtræ adverſarios profitentur) judicium ſimiliter penes prudentem lectorem eſto.

Quod ſi aliqua forte hic cuiquam circa ea, de quibus hactenus diſſerui, ſuboriantur dubia: reſpondendo ad quatuor, quæ omnium ſunt præcipua & graviſſima, quæ adferri poſſunt, (quod me ultimo loco factu-

rum recepi) ei ſatisfaciam, & ſic totam hanc diſſertatiunculam abſolvam.

Principio objicitur à multis, qui operam ſuam ponunt in ſcribendis Apologijs pro Rebellione & proditione, unumquemque natum eſſe, ut ea ſit in Remp. ſuam propenſione animi & affectu, quo erga matrem eſt eique omnia, quæ matri tenetur, præſtet officia. Bonos itaque cives eam quaſſatam, lethaliter vulneratam & afflictam videntes, quod ſit nonnunquam ab ijs regibus & tyrannis, amore ſuo & officio, quo chariſſimæ patriæ devincti ſunt, induci & compelli, ut manum operi admoveant, ut eam tandem à tam exitiali peſte liberent.

Ad quam primam adverſariorum objectionem duo reſpondeo. Primum certiſſimum eſſe in Theologia Axioma, non eſſe facienda mala, ut bona eveniant: ac idcirco Regis impietatem nunquam poſſe cauſam eſſe, ut qui tam divino quam humano jure ab eo ſunt judicandi: ejus fiant judices. Et ſane ſi privato non eſt licitum, ab adverſario ſuo illatam ſibi injuriam ulciſci (ſiquidem Deus ſoli magiſtratui gladij dedit poteſtatem) quanto minus univerſo populo, aut ulli inter eos (quum omnes mere ſint privati, authoritate penes unum ingratum ut ante docui reſidente) ſibi ad quos non pertinet, uſum gladij adverſus eum, cujus ſolius eſt, Magiſtratum puta, ſumere & arripere licebit.

Secundum reſpondeo eis, tantum abeſſe, ut Rempubl. levent difficultatibus, & diſcrimine in quo verſatur liberent: (quod tamen caput eſt defenſionis, quam pro ſe adferre ſolent) ut potius eas magis magisque in perniciem ipſius accumulent, atque ita fieri, ut Rebellio contrarios prorſus ab eis, quos obtendunt, producat effectus. Neque enim Rex tam impotens fingi poteſt, quin imperium ejus Remp. melius contineat, eique ſit utilius, quam eſſe queat, ipſo è medio ſublato, introducta Anarchia.

Principio enim omnis in Rebuspub. periculoſa eſt repentina mutatio, quandoquidem per eam ſpes ſit unicuique privato ſeipſum evehendi & alienis plumis, quod dicitur volandi, omnibus inſolentijs, quæ ab inordinata & incompoſita turba fiducia impunitatis committi poſſunt, laxatis tunc habenis, propter rerum omnium perturbationem. Deinde certiſſimum eſt, Regem nunquam poſſe tam deplorate vitijs addictum eſſe, quin generatim faveat juſtitiæ, ordinemque aliquem in omnibus tueatur & conſervet, ijs tantum exceptis, ad quæ ſoluta ejus animi libido & appetitus eum abripiunt. Ubi vero nullus eſt Rex, nihil cuiquam eſt illicitum.

Com-

Comprobat igitur res ipsa veterem Philosophorum sententiam, satius esse in ea vivere Repub. ubi nemini quicquam licet, quam in ea, in qua omnibus licent omnia, ea tum temporis equum indomitum referente, qui sessorem suum excussit. Nam ut præclare divinus Salustius: Præstaret aliquid minus compositi, nonnullosque nævos tolerare in Rep. quam specie reformandi & corrigendi penitus eam labefactare & evertere.

Alteram objectionem petunt à maledictione, quæ Reip. impendet, quam Rex improbus administrat: Non potest, inquiunt, ullum opus Deo esse acceptius, nec officium magis debitum Reipub. reddi, quam si ab ejusmodi maledictione liberetur, & homines suam sibi asserant vindicentque libertatem, quam exoptare & persequi omnibus à natura est inditum.

Cui Adversariorum argumento ut respondeam, fateor Regem impium à Deo dari populo suo in maledictionem & peccatorum, quibus eum irritaverunt, vindictam. Licere autem ipsis authoritate propria eam sibi à Deo immissam propellere maledictionem, nego. Et quid ni negem? An quisquam est qui inficiabitur, Regem Babelis maledictioni fuisse Dei populo, prout clare ipsi, Prophetia de captivitate, qua abducendus erat, Deus prædixerat, & interminatus fuerat. Quid fuit Nero, dum vixit, Ecclesiæ Christianæ? Et tamen Ieremias & Paulus (ut ante intellexistis) non tantum præceperunt, ut eis parerent, sed etiam ut obnixe pro salute & incolumitate illorum Deum orarent.

Certum igitur est, (ut prolixe antea ex lege divina fuit confirmatum) tolerantiam, serias ad Deum preces, vitæque in melius mutationem, sola esse legitima media ad movendum Deum, ut eos gravissta levet maledictione. Vindictionem vero libertatis quod attinet, quam tandem habent subditi legitimam potestatem revocandi, sibique sumendi illud jus, cui antea tam plene scientes prudentesque renunciarunt? Si enim immunitates statui vel ordini alicui subditorum suorum à se aut prædecessoribus suis aliquando concessas, juste non potest revocare: multo minus certe subditis fas erit eam principi eripere supremam & absolutam potestatem, qua ipse & prædecessores sui tamdiu in ipsos usi sunt.

Infelix vero temporis iniquitas, quæ sæpe felicissimos conatibus illorum periniquis, qui Rebelliones excitarunt, largita est successus.

Tertium adversarijs suppeditat, quod objiciunt. Prosperi successus, inquiunt quos dedit Deus orsis ac cæptubus ejusmodi manifestum red-

dunt reipsa Deum justæ autorum eorum causæ favisse : Respondeo: verum quidem esse, quod eventus præliorum æque ac rerum aliarum omnium, quæ in mundo accidunt, in solius Dei positi sunt arbitrio, & ea ratio sit, cur in scriptura Deus dicatur exercituum.

Si quis autem ex generali hoc principio concludat, eum specialiter justæ causæ victoriam concedere: eadem opera probaturus est, Philistæos, aliosque populi Dei finitimos hostes, cum varias ab eo reportarint victorias, justiorem causam in eis, quæ intulerunt ipsi, bellis, habuisse. Quin etiam eadem ratiocinatione bona ejusdem contra Dei arcam causa fuerit. Nam & eam in prælio ceperunt, & apud se satis diu captivam detinuerunt.

Huc accedit, quòd omnes melioris notæ scriptores cum Theologi, tum alij, Monomachias sive duella (quæ tamen eo obtentu ineuntur, quod Deus eorum exitu declaraturus est, utri parti causa justior) improbent. Sic enim nobis habendum est, alterum qui extra noxam est, coram Deo non esse innocentem. Fit igitur sæpe, ut Deus eorum opera, qui injustam tuentur causam, suam ipsius vindicet justissimè, postea vero iræ flagella in ignem abijciat. Quod in Dei populo haud raro accidisse notum est: Iratus enim hostes eis suscitavit, suscitatos confirmavit, donec sese coram ipso humiliarent. Tum vero eosdem hostes ipsis tradidit.

Eadem ratione Deus ut summus judex potest justis pœnis afficere uum vicarium, & cum peccaverit, Rebellione subditos ejus excitare, qui rebellionem ei retribuant. Id ubi factum est, partes instrumentorum, Diaboli partibus intentandis & torquendis, quos Deus ipsi, tanquam Carnifici suo tradit, nihilo sunt meliores. Quare ut à principio dixi, si de causa ex eventu concluditur, argumentum fit, quod fallax sæpe ac futile est.

Postremum quod opponunt Adversarij, nititur mutua stipulatione, quam vocant, quæ inter Regem & subditos intercedit, quo tempore est inaugurandus. Ajun enim, ibi pactum iniri inter utrosque, & in illud cum Regem, tum populum jurare. Consequens igitur est sententia ipsorum, ut si altera contractus pars à Rege infringatur: subditi ad alteram observandam amplius non sint obstricti, sed ab eo ipso juramento, quo Regi sese adstrinxerant, absoluti. Contractus enim inquiunt inter duas partes ex omni jure alteram liberat, si altera eum non servaverit.

Quanquam vero ut huic etiam satisfiat objectioni inficias eam, tale pactum fieri in Regis inauguratione, præsertim quod eam habeat

beat clausulam irritantem, quam isti adferunt. Tamen fateor, Regem, cum primum Regnum suscipit, subditis suis polliceri, se honeste & fideliter munere sibi à Deo in eos commisso & mandato functurum esse. Fac autem eum postea promissa sua sic exuere, ut nulla prorsus ratione possit excusari, quæritur, quis sit futurus judex solutæ ab ipso conventionis, ut maxime hoc detur, pacta ista subditis omni meliori modo pro fidelitatis ab ipsis præstandæ ratione confirmata esse. Nemincm esse arbitror, vel minima præditum juris civilis scientia, cui dubium sit, nullo jure nec civili nec municipali ullius gentis contractum perturbatum & solutum ab altero contrahentium, ac proinde alterum ab observatione ejus solutum esse, judicari, nisi prius à judice ordinario de eo, qui in culpa est, & contractum soluit, legitime cognoscatur. Alioquin unicuique parti & judici in sua causa esse licebit, quod omnium consensu longe est absurdissimum. In his vero pactis & conventis, quæ intercedunt inter Regem ejusque subditos, unus Deus omni procul dubio judex est, simul quod ei soli Rex administrationis suæ (ut aliquoties jam dictum fuit) rationem reddere tenetur: simul etiam quod juramento quod præstatur utrinque in ipsa inauguratione, judex & vindex ejus constituitur, qui ea intercideriit. Enimvero in conspectu ejus, ut qui solus judex eorum est, omnia juramenta fieri debent.

Quum igitur Deus unicus sit pactorum judex, cognitio & vindicta ejus solius est: ex quo necessario conficitur, sententiam à Deo in Regem pacta non servantem, ferendam esse priusquam subditi se sacramento liberatos esse, statuere queant.

Qualis igitur illa sit justitia, si idem sit pars & judex, sibi partes munusque Dei sumens & usurpans, nemo est qui non facilime ex hoc argumento perspiciat. Et num penes turbam capite orbatam & destitutam erit pro arbitratu & libitu suo subjectionem fastidire, jugum regiminis, quod Deus ipsi imposuit, excutere, eum à quo judicanda & punienda est, judicare supplicijsque afficere: denique in ea ipsa, cui violentia sua se palam fauere & addictam esse profitetur, causa munus severi judicis aut arbitri ad se rapere & usurpare? Imo si quod res est loquamur, nec Rex de populi, nec populus de Regis fide violata hoc casu judicare deberet. Nam si recte consideremus partes, quo tempore invicem contrahunt, Rex una est: subditorum autem universum corpus, altera.

Itaque cum certum sit, Regem, si accideret, ut totum subditorum suorum corpus in eum rebellasset, non debere tali casu ac si liberatus esset omni promissione sua & jurejurando, hostem se gerere infestissimum,

nec

nec moliri omnium ſubditorum & patriæ ſuæ exitium : & ſi debeat in præcipuos univerſalis illius rebellionis authores & faces juſte animadvertere : quanto minus igitur populus (qui ſemper ei ſubjectus manet & omni deſtitutus authoritate , quo ad ſe) poterit Regem ſuum judicare, ipſumque evertere conabitur : ſi ſecus fiat, populus haud citius Regem ſuum accerſet perturbatæ conventionis : quam Rex populum ejuſdem criminis inſimulabit : qua ratione fiet, ut pars ſit judex in propria cauſa, ut jam ante dictum fuit.

Quo loco ſimiliter notandum venit, officia & fidelitatem, in quæ jurant ſubditi, non ſolum eos devincire principi ſuo, cui jurant, verum etiam omnibus legitimis ejus heredibus cum hereditaria ſucceſſio in regna à Dei populo cæperit, & feliciter in multis Chriſtianorum Rebuſpub. continuata ſit: Adeo ut nec in principe hæreſis, nec ſtatutũ, nec lex ulla populo immunitatẽ afferre poſſit, qua Regi ſuo & ſucceſſoribus ejus, legibus Regni fundamẽtalibus conſtitutis, jusjurandũ præſtare non teneatur. Quum ipſorũ ſupremus Dominus hereditarius ſit, ac proinde nativitate ſeu propinquitate, non jure aliquo inaugurationis, ad regnum perveniat: non minus injuſtum eſt, (cum corona nunquam vacet) ſucceſſorem , ne regnum obtineat, impedire ac prædeceſſorem ejicere. Quo momento enim Rex qui potitur , expirat : proximus ejus legitimus heres locum ejus ingreditur. Eum igitur non admittere , aut alium intrudere , non eſt aditu prohibere , quibus accedere non licet : ſed juſtum ſuum Regem præter jus exigere.

Spero autem totum Galliarum Regnum jam agnoſcere ſuperſtitioſam ligiſtarum rebellionem, qui obtentu hereſeos , vi armata tam diu maximo totius Regni detrimento , proprium & legitimum ſuum Regem à poſſeſſione ſua hæreditaria arcuerunt.

Iſta vero utens diſſertatione & pro Regibus Apologia, nõ mihi ea mens eſt, Principes liberos & abſolutos quoſcunq; tandem committant errores & indigna facinora, nullas omnino dare pœnas oportere: quaſi mũdus pro eis ſolis cõditus & ordinatus eſſet, eiſq; omnia , quæ in eo ſunt ſurſum deorſum , abſq; ulla cujuſquã contradictione, pro animi ſui libidine verſare licerct. Imo contra, cum eos ad Deum adeſſe jubeo (qui unus ipſorum judex eſt ordinarius) relinquo eos præceptori, omnium , qui excogitari poſſunt, ſeuerißimo. Quo magis enim Rex ſupra reliquos omnium hominum ordines à Deo evectus eſt, ejuſque ſolium ſedibus eorum ſupereminet , eò magis creatori ſuo devincitur. Quamobrem ſi ſui ſit immemor (cum tanta ſit ejus ingratitudo, quanta eſt excellentia) eo gravius futurum eſt ipſius ſupplicium. Quanta enim

ejus

ejus est eminentia, tanta erit etiam, qua compensabitur, ruina: Quanto enim quis Deo magis obstrictus est, tanto major ab eo noxa committitur. Iovis fulmina sæpius & gravius feriunt altas quercus, quam humiles salices: subsellum supremum lubricissimum est.

Regem ullum sui erga Deum officij, aut vocationis sibi incumbentis oblitum fuisse, nunquam auditum fuit, quin Deus supplicij gravitate, magnitudinem ingratitudinis ejus ultus sit.

Neque etiam fore existimo, ut argumentis hujus meæ dissertationis subditos adducam, eisque persuadeam, ne ulli eorum post hac incitari se patiantur, ut in principes improbos insurgant & rebellent.

Sed committant justitiæ & providentiæ divinæ, quæ olim effecit, ut vel pediculi & abjectissimus terræ pulvis elati Pharaonis compesceret insolentiam, ut pro bona voluntate & placito excitet in pœnam impiorum Regum flagella. Id unum hic ago, ut in quantum possum omnibus Christianis lectoribus, qui nudo nomine non contenti vita sua ac fructibus bonorum operum, quos perferunt quotidie, se revera Christianos esse declarant, his certissimis & infallibilibus argumentis persuadeam, ut simul mentes & manus abstineant & puras habeãt à prodigiosis istis ac nefarijs rebellionibus, quandocunque eas principis de Deo promerebitur improbitas: quo, cum visum fuerit Deo, ejusmodi Principum flagella, & indignationis suæ instrumenta in ignem abijcere & perdere: vos stare positis mundis manibus & conscientijs immaculatis, quippe qui ostenderitis omni vita vestra, vere vos esse, quod dicamini erga Deum, & officiosos parentesque subditos in vestrum Regem, judicium vindictamque omnium iniuriarum, quas vobis intulit, ei, cujus solius est, committentes. Sed Deum precatus, ut benedictiones suas nobis perpetuet, sperans etiam eum facturum esse, nec immissurum nobis tam formidolosas calamitates, nec desolationem: id unice opto, ut Rex noster se gerat & inter nos in posterum semper vivat tanquam Deus in terris, parensque nostri amatissimus, eis præditus virtutibus, quas ei primæ hujus tractatus parte attribui.

Vos vero quod attinet, (populares charissimi, Lectoresque benevoli) opto, ut omni studio ac conatu adnitamini, ut incolumitatem & prosperitatem Regis vestri promoveatis, adeo, ut quemadmodum ipsi statuendum est, omnem felicitatem suam terrenam in salute vestra fundatam esse: magis seipsum curans vestri quam sui causa, seque reputans solum propter vos & bonum vestrum constitutum esse: ea

inter ipſum & vos ſancta oriatur æmulatio, qua cura ipſius de veſtra tranquillitate & ſtudium veſtrum erga ipſius honorem & incolumitatem ſic invicem certent quotidie in omnibus actionibus veſtris, ut vos tali Rege felices, Rex vero tam obſequentibus ſubditis imperando, longe ſe beatiſſimum eſſe judicetis.

FINIS.